



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Cap. VIII. De Templorum ornatu, & Cultu sacrarum Imaginum &
Reliquiarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

minus authentica superſint, & exinde multi, tempore Noſtri Prædeceſſoris, Romanum Breviarium & Miſſale aſſumpſerint, ex quo magna confuſio & diſcrepancia confeſcuta eſt; ideo uniformitatem in Eccleſiam Noſtram inducere volentes, mandamus, ut omnes Clerici, Canonici, Paſtores & Eccleſiæ Miniſtri, ſibi de Romanis proſpiciant intra Paſcha & Nativitatem Chriſti, ritumque Romanum per omnia ſervent. quoad Eccleſiam verò Noſtram Cathedralẽ, cum Capitulo Noſtro, de modo & tempore Romanum illa in Eccleſia introducendi, mature deliberabimus. Procurabimus etiam, ut libri, ad hunc Romanum uſum neceſſarii, in Civitate Noſtra Oſnabrugeniſi commode haberi poſſint.

3 Nemo novos ſibi ritus fingat, introducat, aut uſurpet; ſed in Eccleſia omnia moderata, conformia, & conſona ſint. Curſorius ille ac concitatus legendi cantandique abuſus omnino exulet; omnia maturitatem, gravitatem, pietatem, religionem, ac reverentiam erga Deum redoleant.

4 Et quia domum Dei decet ſanctitudo, nemo in Eccleſia in conſpectu Domini garrat, nugetur, obambulet, circumſpèctet curioſe, aut aliud quippiam, loci ſanctitate indignum, tractet; quod cum Laicis etiam vetitum ſit, multo maxime Clericis interdictum eſt; qui ubi aqua benediſta ſe ad ingreſſum aſperſerint, ac ſacram Euchariftiam cernui ſalutarint, conferre ſe ad locum ſuum modeſte debent; cæteroqui ad Nos à Prælatis Eccleſiarum deferantur, & quotidianis diſtributionibus priventur.

5 Aquæluſtralis, nec non cinerum, herbarum, palmarum, aliorumque fructuum, definitis temporibus, ac certis diebus, in Eccleſia benedici ſolitorum, uſum legitimum ac rectum probent ipſi, & aliis commendent: & quoniam cæremonias huiusmodi, ſanniones hæretici, vel ex ignorantia contemnunt, vel ex malitia derident, ipſi tueantur, myſteriaque quæ in hiſ latent, vim adverſus antiqui hoſtis inſidias, & ſciant ipſi, & aliis, ubi opus fuerit, ad confutandos hæreticorum errores, ex probatis autoribus explicent.

6 Eadem prorfus ratione, non ſolum adverſus A catholicos defendere, ſed ipſimet etiam viſitare debent Proceſſiones, ſeu publicas totius Eccleſiæ, ſeu peculiare ſuæ Diœceſis, ſeu ſtatas, ſeu ex occasione indiſtas, quoties eæ inſtituentur. Noverint vero omnes, in huiusmodi Proceſſionibus, quæ prælata cruce aut vexillo, bono ordine, viris in unum, foeminis in alium cætum diſtributis, debent fieri, abſtinentium prorfus eſſe à fabulis, riſibus, nugis, levitatibus, diſcurſibus, curioſitatibus, computationibus, præbendumque Laicis eſſe modeſtiæ & pietatis exemplum. ſi qui vero Sympoſiorum aut nundinationum quarumcunque abuſus irreplerint, eos abrogent Parochi, aliive ad quos munus hoc pertinet.

C A P. VIII. De Templorum ornatu,
& cultu ſacrarum Imaginum &
Reliquiarum.

Præter externum illum decorem domus Dei & ornatum, quo templa debent eſſe conſpicua, religioſe etiam aſſervantur Sanctorum Reliquiæ & Liſana, nec non Chriſti Domini ac Sanctorum Imagines, quæ uti à Iovinianiſtiſ & Iconoclaſtiſ vehementer impugnatae ſunt, ita à Catholicis omnibus acriter ac glorioſe propugnatae. Etenim, cum ſacra illa membra atque oſſa, viva quondam fuerint Spiritus ſancti domicilia atque templa, ad quorum vel attackum vel intuitum vel cultum maxima Deus edidit prodigia, quod utriuſque teſtamenti exemplis perſpicui eſt; plane convenit, ut à fidelibus Chriſti populis honeſte condantur, pretioſiſque oculis pie conſerventur, ad illorum honorem, & gloriam Dei, cujus Sancti nimis honorificati ſunt. Si itaque, vel ad populi devotionem excitandam, vel ad Deum per interceſſionem Sanctorum ſuorum, & exhibitionem ſacrorum pignorum, placandum, Reliquiæ huiusmodi, aut præter conſuetudinem, aut pro more, oftendendæ ſint, jubemus, ut non à Laicis, ſed à Clericis, ſolemni cum apparatu, accenſo lumine, reverenterque, ac ſine quæſtu omni, fiat. Oſtendantur vero Reliquiæ ſincerae, non falſæ pro veris, non incertae & dubiæ pro certis ac probatis, non incognitæ pro cognitis, ſine ſuperſtitione omni, impoſtura, & abuſu: quocirca opus erit, ſingulis ſchedam aliquam, è qua dignoſcantur, apponere. ſicubi vero nova vel ederentur vel edi putarentur miracula, ad quæ magnus fieret populi concurſus, id Prælati vel Parochi Nobis illico ſignificent, ut mature dijudicetur quid ſentendum, ne credulum vulgus vel capiatur ſuperſtitione, vel commentitiis miraculis ſalcinetur.

2 Statuimus inſuper, ne ſacra Reliquiæ, ſine expreſſa Noſtra licentia in ſcriptis obtenta, extrahantur, donentur, aut extra Diœceſin Noſtram exportentur, ſub poena Excommunicationis latae ſententiæ.

3 Chriſti Salvatoris, Deiparæ Virginis & Sanctorum ſtatuae atque imagines, non in Templis ſolum, ſed in privatis etiam Oratoriis, Sacellis, aris & agris, retinendæ, decore veſtiendæ ornandæque, & vero etiam honorandæ ſunt, eo quod effigies ſint ſuorum prototyporum, quibus etiam honor recte deferitur. Sunt etiam huiusmodi ſtatuae atque imagines, atque aliæ hiſtoriæ ſacrae vel pictæ vel ſculptæ, indoctæ plebis veluti libri, in quibus Redemptionis noſtræ myſteria legunt ac recolunt, quarum è conſpectu pietatem hauriunt atque confirmant, ad imitationem denique excitantur. Vnde convenit, decenti eas cultu ornare, ut Deus laudetur in Sanctis ſuis; quos licet ſecularii probris atque convitiis inceſſant; Catholica

Conc. Tri-
dent. Seſſ.
25. De
invoc. ve-
nerat. &
reliq. 55.

d. decreto
ſeſſ. 25.

Conc. Nic.
2. & Tri-
dent. d. lo-
co c. perla-
tum. De
conſecra-
tiſ. 3.

d. c. per-
latum.

tholica tamen Ecclesia semper venerata est, non latria sed longe dispari dulci cultu, non ignara, honorem, seruo habitum, in Dominum redundare, fasque esse homini, honorare illum quem Deus ipse honorat.

4 Ne quæ tamen novis Iconomachis calumniandi ansa præbeatur, cavendum omnino est, ne in Ecclesiis sculpantur pinganturve statuarum vel imagines Sanctorum, qui ab Ecclesia & probatis historiis non habent auctoritatem. Cavendum præterea, ne falsæ veris in huiusmodi imaginibus misceantur, aut profanum quid ac fabulosum inferatur. Multo maxime attendendum est, ne turpes, incompositæ, ex gentiliis scriptorum libris petitæ, aliæve profanæ imagines, sculpturæ, picturæ, in domo Dei videantur.

5 Volumus etiam, ut imagines ac statuarum deformes, fractæ, vetustate consumptæ vel corrosæ, aliisque de causis indecentes, e Templis removeantur.

6 Mandamus præterea Pastoribus & aliis quibuscunque Ecclesiarum Rectoribus, ut nullæ posthac imagines, (statuarum, epitaphia, Altaria in Ecclesiis & locis Ecclesiasticis ponantur, nec quicquam aliud figatur, constituatur, mutetur, nisi Nostra aut Nostræ in Spiritualibus Vicarii approbatio præcesserit: nec Pastores, multo vero minus æditui aut Provisores, cuiquam in Choro sedem vel stationem certam concedant. Quæ vero hæctenus à quibusdam in Ecclesiis politæ fuerunt sedes ampliores, quæ prospectum ad summum Altare impediunt, aut aliis obstaculo sunt, maxime vero quæ prope Altaria collocatæ sunt, directione Vicarii Nostræ & cura Pastorum ad debitam moderationem redigantur.

CAP. IX. De Indulgentiis & Purgatorio.

1 Quæ admodum fortiori nunquam ariete petita quassataque est Ecclesia, quam eo, quem primo quæstusosi Indulgentiarum præcones adornarunt, postea vero iniqui lucri & gloriæ competitores, & votivæ à Religione apostatæ, Quinti Evangelii verbicines, ei admoverunt, ita contentione omni, & armatura Fidei, obstitendum est.

2 Condonationes illæ, quæ ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ, exemplo sancti Pauli cætorumque Ecclesiæ præsidum, dispensatæ sunt, caute ac circumspecte ex potestate clavium, dataque solvendi ac ligandi facultate & potestate, defendantur.

3 Ad tollendos etiam errores, pro suggestu demonstrandum est, Indulgentias omnes, in meritis Passionis ac Sanguinis Christi fundari, qui, ex copioso & inexhausto satisfactionis suæ thesauro, Ecclesiæ suæ, ejusque præsidibus, reliquerit instructissimum Eleemosynarum spiritualium sacræ ærarium, e quo parce ac prudenter, pro inopum indigentia, & dispensato-

ris auctoritate, debiti alieni nomina, & insolutæ peccatorum pœnæ, solvi possint, (solvere enim dispensatores mysteriorum Dei possunt ex mandato divino quicquid ligatum est, sive culpa illud sit, sive pœna) accedente præsertim Sanctorum Dei amicorum quasi collateralitate (deprompta tamen ex meritis Christi) liberalitate.

4 Præcipimus etiam, ne ullæ Indulgentiæ publicæ per Dioccesin Nostram ab ullo seu Regulari seu non Regulari, sine Nostræ scientia & approbatione proclamantur, ne qua incautis Catholicis ad superstitionem, vel Hæreticis ad iniquam calumniam, occasio detur; cum illi interdum e taxo suævolentiam, hi ex flore virus hauriant. Si vero Iubilæum publicum, aut aliæ communes vel privatæ Ecclesiarum. Ordinumque Indulgentiæ denuncientur, earum se compotes faciant Christi fideles.

5 Indulgentiarum sacrarum usum frequentem, si non induxit, consuluit tamen purgatorius seu piacularis ignis, in quo inextinctæ à pœnis temporalibus animæ detinentur, donec, Apostolo docente, detrimentum passæ, salvæ fiant per ignem. Prævit, in hoc misericordiæ opere, exemplo Laicis omnibus Iudas Machabæus, qui, ex communi veræ Ecclesiæ consensu, sanctam & salubrem esse censuit cogitationem pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Ea propter præcipimus, ut annuæ, vel aliis definitæ temporibus ac diebus, defunctorum piorum memoriæ, oblatione sacrificiorum, Eleemosynarum ab ipsis constitutarum elargitione, aliisque piis operibus, ex Ecclesiæ cujusque consuetudine receptis, & à Nobis probatis, pie integreque peragantur. Pro Hæreticis vero, & infantibus in prima innocentia defunctis, suffragia huiusmodi ne fiant, cum nec hi indigeant, nec illis profint.

6 Quia vero ii, qui in pœnis Purgatorii detinentur, unius Nobiscum corporis membra, Fratres & amici Nostræ, ope Nostræ & suffragiis maxime indigent; idcirco mandamus, ut diebus singulis sub vesperum, quando ad salutationem Angelicam signum datum, ad Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ exemplum, aliâ campanâ in singulis Ecclesiis detur signum; quo audito, omnes ex Christiana misericordia pro Defunctis, piè ac diligenter Deum, divitem in misericordia, orent.

CAP. X. De dierum Fæstorum, Esurialium, & Ferialium observatione.

1 Exoleverunt jam in Christianismo Fasti & Nefasti gentilium dies; vanæ & profanæ annorum, mensium & dierum observationes ex Genethliacorum disciplina, Apostolica sententiâ damnatæ sunt; Festos vero dies, vel Dei ipsiusmet iussu, vel auctoritate Ecclesiæ aut legitimi Magistratus, institutos,

1 Cor. 3.
vers. 14.
15.
2 Mach.
12. v. 43.

Galat. 4.
vers. 16.

Matth.
16. v. 19.
& c. 18.
vers. 18.
Joan. 20.
vers. 21.
& 22.